

genus vivendi non a nobis, sed ab ipsis Pontificiis urgetur. Quis enim numerum ineat tot apud illos monialium, quae omnes ad sacrum ordinem referuntur, ut tibi *Quintillas*, *Priscillas*, & *Maximillas*, foeminas Montanistarum, oculis tuis intueri videaris. Conf. EPIPH. Haeres. 49.

§. XXIII.

Doctrina de conjugio, quam itidem puram & incorruptam habemus, paria fata cum reliquis habuit. Quando enim asserimus, Coelibatum Sacerdotum coactum, verbo DEI esse contrarium VIGILANTIAE: cum votorum libertatem integram relinquendam esse docemus, LAMPETIANOS nominant: CARPOCRATIANOS & GNOSTICOS nos proclamant, quod nolimus dicere matrimonium Sacramentum: BASILIDIANOS, & JOVINIANOS, quod non praeferamur virginitatem conjugio: Cum tamen ne quidem ad posterius quenquam obstringere possint, si conjugium Sacramentum est. Superfedemus in enarrandis Haereticorum dictorum foeditatibus, quas apud EPIPHANIAM, exceptis Lampetianis & Vigilantio, de illorum enim dogmatibus non adeo constat, hunc vero haereticorum Catalogo non inferemus, non absque horrore legere licet, & sicut certo novimus, ecclesiam nostram ab omni illa immunditie esse immunem, ita in eo coetu, ubi sedes est omnis impuritatis, non miramur doctrinam de conjugio nunquam recte ab illis exponi posse; Quoniam nunc pro Sacramento, nunc tantum non pro execramento declarant: virginitatem laudant, neque tamen fornicationem puniendam severe existimant, qui Moralistae dicuntur: ut non miremur jam quondam scripsisse BERNHARDUM MORLANENSEM. L. III. de *Contemptu mundi*:

*Fas*